Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars II.
Wien, 1794 Seite 1293
Quelle:
Copyright:

gusti maximum ingenii acumen, quo et naturas singularum rerum et genealogias Regum et Principum vestrorum inquirere summopere oblectatur: et de diuinarum rerum colloq . . . . . capit voluptatem. Quod (ut taceam alia) superioribus mensibus aper. . . . . constitit, qum in Ini ponte oppido in solis valle posito ad . . . . . opipareque paratam cenam in eis ipsis edibus in quibus machine, tormenta ceteraque arma bellcia, que — et magnitudine et multitudine, et artificii nouitate omnium orbis principum superant munitiones, quam acuratissime conseruantur, Cesarea Maiestas Reuerendissimum Legatum (Bernardinum Caruaialium S. Crucis Card.) *inuitasset, et tua paternitas acerrimo illo — ingenio nonnulla de unitate deque summa illa Trinitate proponeret, ipseque omnium in genere scientiarum eruditissimus Legatus, tanquam Apollinis oraculum, miro modo responderet, tunc Imperatoria Maiestas tanquam oblita epularum, et vehementissimarum apud mortales voluptatum toto animo in diuina ferri uidebatur, ac de his, que disputabantur, summam ipse quoque et interrogando et respondendo capere uoluptatem.* &c. Repetit ea in *Probemio* ad ipsum Imperatorem v. g. *Ex colloquiis acutissimis ultro citroque cum eruditissimo Legato habitis Maiestatem ipsam in animalium ceterarumque rerum uestigandis naturis summam capere uoluptatem tanquam ad omnem Philosophiam natam consideraui; solerter quippe inter alia, essent nec ne ea ipsa que ruminant animalia eo quod dentibus in superiori carent mandibula, somni capacia, uel omnes insomnes ducere noctes, inquirere. Multaque de ipsorum animalium celeritate, ac uehementi, et (que vix dici potest) agilitate, deque ipsorum per decliuos, nudos, saxeos et preruptos montes saltibus, atque cursitationibus disputare. Ad quos quidem montes et ipsa serenitas iam accesserat, Crucemque Christi propriis manibus in concauo verticis* (vulgo *Martinswand.* Nihil tamen hic de periculo.) *quo etiam visus ipse terretur, collocauerat, in quibus etiam homines a tua Celsitudine destinatos transire intrepide, nobis, qui cernebamus, trepidantibus, perspeximus. Multa et ea quidem preclara et de metallorum, quorum Tue serenitati fodine innumere lapidum, herbarumque uiribus inducere* &c. Tractatum ipsum in *LXIII. Contemplationes* sectum *figura* praecedit Trinitatis, Incarnationisque arcana ruditer adumbrans. Contemplatio I. sic incipit: *Quid nomine lucis Deitatis extra personas descripte sit intelligendum. Lux Deitatis figura spherica nostris oculis exhibita nil aliud est, quam diuina natura, essentiaque. Hanc greci Vssiam vocant* &c. Operi subnectitur Epilogus, quo Imperator ad persequendos Turcas excitatur et laudes *Julii* II. P. R. recitantur. Hunc excipit *Psalmus, quem Angeli assidue vnico et trino decantant deo*, et ipse sat mysticus, hoc ingressu: